



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

De Judice Actionis Beneficiariæ, Adjunctis ejus & Consectariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

Collativas: si loquebantur de Beneficio, non extendebantur ad Pensiones, neque ad Hospitalia, neque ad Beneficia, quorum Impetrans non erat capax: verbum *Ecclesia*, non complectebatur Cathedralium: Mandata, quae dabant Beneficium vacans, non extendebantur ad Beneficia aliis debita: si eodem tempore plura vacarent, quae nemini deberentur, minus duntaxat affectabatur Mandatario: si Collatori mandatum fuisset, ut conferret primum Beneficium vacans, aut suae Collationis, aut alterius, pluribus vacantibus, unum ex sua Collatione debebat: si teneretur dare Beneficium suae Collationis, illud dare non poterat, quod ad Superiorem erat devolutum.

Quantum, quando conferendum: Antecedentia Collationem.

TRES QUÆSTIONES sequentes, quae pertinent ad quantitatem rei conferendae, Locum ubi conferendum, & res praemittendas Collationi, docent 1. Reditus oneri ac Dignitati proportionandos esse, quod ab Argumento Collationis Beneficiorum alienum est; 2. Conferendum esse sine diminutione. 3. Collationem neglectam per Sex menses, ad Superiorem devolvi. 4. Beneficium Patronatus conferri posse sine praesentatione Patroni. 5. Si Patronatus ad Ecclesiam Collegiatam pertineat; Praelatus praesentare debet cum Capituli consensu: si Capitulum dissentiat, Collatio est annullabilis. 6. Collatio fieri non debet sine consilio ejus, qui consulendus est, nisi valde à Loco distans sit, aut defunctus. 7. Non est conferendum juxta preces Haereticorum. 8. Collatio gratuita esse debet. Denique, ubi Collatio non est libera, velut in casibus REG. IV. V. VI. VII. implendae sunt conditiones, quibus illa est obnoxia: proinde Quatuor illae Regulae ad unicum rediguntur.

Prima trium Regularum circa adjuncta Collationis restringi debet ad casum necessitatis, & eum, quo Collator Beneficio servitutum imponere potest. Dispositio Textus laudati odiosa est, & restringenda ad casum expressum, nempe eum, qui fuit observatus. Vid. Cap. 6. & 11. de Prab. & GONZALEM *ibid.* REG. II. exolevit; item taxa, de qua loquitur III.

Confectaria Collationis, & de Actionibus Beneficiorum.

Quamvis multa sint consequentia Collationem, Autor hic tantum loquitur de obligatione accipiendi Ordinem annexum Beneficio, & de petitione Beneficiorum in Jure; circa quam observandum est, eam nasci vel ex Jure remoto, vel ex proximo ad Beneficia: prius nascitur ex Praesentatione, vel Expectativa; posterius ex Collatione, sive imperfecta, quae vocatur *Institutio*, sive perfecta, quae vocatur *Collatio*, sive ex alia quavis Provisione, imprimis ex Electione & Confirmatione ipsius. De causis hujus petitionis disseritur in REG. LIX. & sequentibus: Exceptiones ejus sumuntur ex amissione Jurium; Replicationes pertinent ad casus in Regula comprehensos. Duplicationes Exceptionibus respondent. Argumento Regulae & Exceptionum rite enucleato, corrumpit totus ille apparatus Replicationum & Duplicationum.

Cui competat Actio BENEFICIARIA?

Loquendo in Quaestione praecedente, de causis hujus Actionis, indicatae sunt Personae, quibus illa competit: nam tales sunt ea, quae Jus habent remotum, aut proximum ad Beneficia: unde fit, ut, in discussione hujus Quaestionis, exponendi sint casus,

in quibus plures Personae concurrunt ad idem Beneficium, agiturque de Praelatione aliis, alteri. Tres sunt casus. *Primus*: is, in quo Capitulum plures Personas in numerum Canonicorum adsciscit, cum sponcione primam Praebendam vacaturam iis conferendi; & tunc ii, qui autoritate Apostolica recepti sunt, anteferuntur iis, qui recepti sunt autoritate Capituli, inter quos ponuntur illi, quos admittit cum licentia Pontificis. Casus hic rarus est, & exponitur in REG. LX. *Secundus* est, cum plures extant Mandatarii ad primum Beneficium vacans in eadem Ecclesia, & tunc is, cujus Mandatum anterior est, praefertur aliis, nisi aliquis eorum habeat clausulam *Anteferri*. Genus hoc desit esse in usu: exponitur in REGULIS LXI. LXII. LXIII. *Tertius* est is, quo Patronus Laicus successivè, aut simul, plures Clericos ad idem Beneficium praesentat; & tunc praelatio datur ei, qui Institutionem ante alios accipit; species hujus casus, quem exponit REG. LXIV: est in praxi.

REG. LX. pertinet ad Beneficii accessorium, scilicet Praebendam debitam Canonicatui: ceterae Beneficium respiciunt.

De Jure Actionis Beneficariae, Adjunctis ejus, & Confectariis.

Tres Quaestiones jungimus, idcirco quod de singulis unicum verbum sit dicendum, nempe. 1. *Judex Loci*, in quo situm est Beneficium, cognoscere debet de Actionibus Beneficariis, nisi extent circumstantiae, quarum cognitio pertineat ad Superiorem v. gr. si agatur de Dispensatione Pontificia REG. LXV. 2. Mandata sunt odiosa, Cap. 4. de Prab. in 6. laudato in REG. LXVI. Possessionis Quaestio ante Petitorium proposita, definiri debet, antequam agatur de Petitorio. Duo anni concessi sunt ad illud prosequendum & judicandum REG. LXVII. 3. in Quaestione circa denegationem Provisionum, eas *Judex* dare potest ei, quem iniquam repulsam passum fuisse judicat, CLEMENT. 3. de Rescript. REG. LXVIII.

Et haec sunt Observationes in primam Partem hujus Capituli, quae respicit acquisitionem Beneficiorum, sub nomine *Collationis* contentam: è quibus patet, multa esse vitia, tum ex parte ordinis, tum ex repetitionibus, vel ex parte Exceptionum, Replicationum, Duplicationum inutilium, vel ex parte rerum abrogatarum.

De amittendis Praebendis & Dignitatibus.

Haec sunt observanda circa secundam Partem, de Amissione Beneficiorum, incipientem à REG. LXXI. Exceptio hujus Regulae non est accurata; nam Officium, non est Beneficium: Regula autem loquitur de Beneficiis, de quibus dicit, illa non posse auferri sine causa; proinde Officia excipi non debent.

Causae Amissionis Beneficiorum.

Exponendo Quaestionem hanc per Regulas XXXIII. plures assert argumentis alienas. Tales sunt ea, quae respiciunt nullitatem Provisionum: haec enim obstat acquisitioni; amissio autem acquisitionem legitimam supponit. Proinde, haec Regulae, quae pertinent ad acquisitionem, male collocantur sub amissione, posito quod sub illa fuerint omittae; aut inutiliter iterantur, si continentur sub acquisitione. Ut iis, in hac Quaestione, uteretur, dicendum erat, crimina & defectus, quae Provisiones irritant, privare Beneficiis, cum emergunt post Provisionem; vel privationem mereri. Quoad crimina, allegare debuisset: 1. Omnia, quae Beneficii vacationem, ipso facto, operantur; ea collecta sunt in Regulis circa Irregularitatem. 2. Ea, quae per privationem puni-